

Vatini professum esse apud senatum se indicaturum plerosque nobilissimos viros de interficiendo Pompeio inisse coniurationem idque negotium sibi mandasse; hunc tamen Vettium in carcerem coniectum atque ibidem necatum 5 ipsis potissimum auctoribus, qui eum ad mendacium subornassent.

C. Curionem, perpetuum hostem inproborum.

Et hunc L. Vettius nominasse inter ceteros videbatur velut mandatae in Pompeium caedis auctorem. Qui tamen Curio honorifice nunc a Tullio nominatur, cum vehementer 10 et aspere laceratus sit ab eodem in oratione, qua et ipsum et P. Clodium laccessivit.

**§ 25.** Qui duos nefarios patriae proditores legibus exterminarat.

De Lucio Aemilio Paulo dicit, qui consulatum postea 15 cum M. Marcello gessit ante annum quam bellum civile Pompei et Caesaris exardesceret. Hic igitur Paulus accusare instituerat de vi L. Catilinam et, ut quidam memoriae tradiderunt, C. Cethegum. Sed enim Catilina deficiens ab re p. se ad arma contulerat, Cethagus quoque 20 in eadem perseveratione consumtus est.

**§ 27.** Spoliaretur beneficio et aequitate legis tuae.

Legem quidem hanc non inprobabilem videbatur P. Vatinius in tribunatu suo perrogasse, ut alternorum iudicium reiectio fieret. Sed acute detrahit ei laudem, 25 quam de aequitate legis consequi poterat, eo scilicet, quod id egerit, ut C. Antonius, qui collega M. Tulli fuerat in consulatu, ante reus fieret accusantibus Q. Fabio Maximo et M. Caelio Rufo, quam lex Vatinia de reiectione iudicium perferretur, ut posset aequissimo iudicio reus Antonius privari, cum praesertim esset illi Vatinius idem